









v

Defektes Exemplar; es fehlt P. IV.



ax



1 Acc. 821.

BIBLIOTHECÆ ARABICÆ  
P. V.

---

DEO JUVANTE  
P R Æ S I D E  
CHRISTIANO FRIDERICO  
SCHNURRER

LITT. GR. ET ORIENTAL. PROF. P. O.  
ET ELECTORALIS STIPENDII THEOLOGICI EPHORO  
PRO OBTINENDIS MAGISTERII PHILOSOPHICI HONORIBUS  
DIEBUS SEPTEMBRIS MDCCCIII

PUBLICÆ DEFENDENT

FRANCISC. GUILIELMUS FRIDERICUS LUZ *Blabyrensis*  
GEORG. THEOPH. ADAMUS MELCHINGER *Pfüderhusanus*  
CAROLUS FRIDERICUS GRUNSKY *Stuttgardianus*  
CAROL. CHRISTIANUS FRIDER. SCHEID *Hohenakerensis*

SERENISSIMI ELECTORIS STIPENDIARII  
ET  
MAGISTERII PHILOSOPHICI CANDIDATI.

---

TUBINGÆ LITTERIS HOPFFERIANIS.

5/2 x - 4 1/4



128.339

FRANCISCA MARIA

FRANCISCA MARIA

FRANCISCA MARIA

FRANCISCA MARIA

FRANCISCA MARIA

FRANCISCA MARIA

FRANCISCA MARIA

FRANCISCA MARIA

FRANCISCA MARIA

FRANCISCA MARIA

FRANCISCA MARIA

FRANCISCA MARIA





Visum est nunc commemorare arabicos libros a Christianis profectos, editosque ad juvandam religionem atque disciplinam christianam; se junctis Biblicis libris, deinceps suo ordine enumerandis. In illo autem genere tantum abest ut spondeamus quod perfectum sit omnibusque numeris absolutum, ut vereamur potius, ne sint omnino aliqua, quæ nos etiam nunc penitus lateant, cum sint ejusmodi libri minus quam alii inter nos cogniti. Haud paucos tulit typographia S. Congregationis Romanæ de propaganda fide, quam novimus initium sumsisse anno MDCXXVI. Subinde quoque editus est Catalogus librorum, qui ex ista instructissima officina variis linguis prodire. Novissimus, qui ad nos pervenit, est anni MDCCLXXXII. pagg. 30. Qui proxime præcessit MDCCLXXIII. pagg. 55. est Jo. Christoph. Amadutii, typographiæ tum præsidis, qui in præfatione significavit, quo antehac anno catalogus seu elenchus librorum prodiit. *Primus* editus est MDCXXXIX a Jo. Dominico Verusio, Beneventano, Superintendente, *secundus* MDCLXVII a Zacharia Dominico Acsamitek a Kronenfeld, Boëmo, typographiæ ministro, quem omnium

tunc temporis Impressorum, qui Romæ erant, celeberrimum dicit Amaduzzi. *Tertius* prodiit s̄n fol. absque indicio anni *Quartus* curante Antonello, qui typographiæ præfuit ab anno MDCCLXXX usque ad MDCCLVIII. *Quintus* MDCCLXI. quem perhibet Amadutius libros nonnullos referre, qui sub prelo esse dicuntur, qui tamen nunquam prodierunt. *Sextus*, “tum “nonnullis libris additis, qui desiderabantur, tum expunctis “pluribus, qui vel defecerant, vel nunquam extiterant,” ann. MDCCLXV editus est a Biccio. Hoc defuncto typographiæ curam in se suscepit Amadutius, qui “visum est mihi, ait, non eos tantum libros recensere, qui in typographiæ nostræ apothecis adservantur, sed insuper addere, quotquot pro diligentæ meæ modulo occurrerunt eorum, qui olim typis nostris expressi, nunc, exemplaribus omnibus dono potissimum ex Congregationis instituto absumptis, desiderantur.” \*) — Utimur nos non modo utroque novissimo, sed et primo et secundo, et hoc quidem, qualis exstat in libro, inscripto: Dorothei Asciani (quo nomine latet Matth. Zimmermann) *Montes Pietatis Romanenses historice, canonice, theologicè detecti.* — Lipsiæ 1670. 4. Qui si librum neglexerint; sane in nobis turpe videri haud poterit eundem ignorasse.

\*) Vid. Die Bibelgeschichte in einigen Beyträgen erläutert von Josias Lorck. 1 Th. 1779. 8. pag. 421. sq.

1. "Septem Horæ Canonicæ, à Laicis hominibus recitandæ, juxta Ritum Alexandrinorum, seu Jacobitarum, Alexandrino Patriarchæ subditorum, Arabice, editæ a Gregorio Georgio Veneto, sub auspiciis Leonis X. Pontificis Maximi in urbe Fani, Feria tertia, die XII. mensis Ailul (Septembris) anno Christi millesimo quingentesimo decimo quarto, uti pag. 110. adnotatur."

"Typographia Arabica, quam sumtibus Julii II. Pontificis Maximi laudatus Gregorius, sæculo Christi decimo sexto ineunte, in urbe Fani erexit, omnium tam in Italia, quam in ceteris Europæ partibus prima fuit; ex ea tamen nonnisi memoratus septem Horarum Canonicarum Liber prodiit; cujus quidem editionis exemplaria, nusquam, quod sciam, hodie reperiuntur; ideoque eundem, utpote rarissimum, huic Catalogo operæ pretium duxi adtexendum."

"Codex in 8. chartac. constat paginis 111. Arabicis characteribus, et sermone, Fani, ut supra dictum est, editus a Gregorio Georgio Veneto, anno Domini millesimo quingentesimo decimo quarto."

Assemâni hæc sunt, Catalog Biblioth. Mediceæ. Florentiæ, 1742. pag. 83. qui libri inscriptionem etiam et epigraphem arabicam refert pag. XLV. At ill. Tychsenius, cum (Repertorium von Eichhorn, XI T. pag. 105.) negaverit, recte traditam esse ab Assemano et inscriptionem et formulam extremo loco positam, rogantibus nobis humanissime per litteras tribuit, quæ a nobis referri queant.

De Tychseniano igitur exemplo hæc accipe. Inscriptio non est nisi trium vocum, كتاب صلاة السواعي  
Liber precum singulis horis recitandarum. Et sunt preces novem; secundæ subjecta sunt hæc: absoluta est precatio nocte dimidia Sabbathi peragenda juxta صلاة Romanam; eademque formula علي طمس الرومي subjecta quoque est quintæ et octavæ.

Extrema opusculi formula est: *Finis factus est* (excudendi) *hujus Horarii benedicti Feria III (die) 12. mensis Septembris*, شنبه یوم، anno millesimo et quingentesimo et decimo quarto Domini nostri Jesu Christi, *cujus memoriae sit laus, amen!* Et illud excudit, ختم، peritus Gregorius Gregorio ex urbe Venetia. Excusum est in urbe Fani, فان، sub ditione sanctiss. Papæ Leonis، لئون، tenentis sedem sanct. D. Petri Apostoli in urbe Roma. Qui deprehenderit in eo (libro) erratum, emendet, emendabit Deus sortem ejus, intercedente Domino. Amen. Exemplum est paginarum 237. non computato folio primo, seu foliorum 120 in 8. vel 4 min. Eadem omnino ratio est quoque exempli, quod est in bibliotheca nationis Gallicæ Parisiis.

Hæc quæ certa habemus et explorata quomodo congruant cum dictis Assemani, alii viderint, quibus Florentini illius exempli spectandi copia fuerit. Tychsenius, loc. cit. pag. 105. "De Rossi, ait, Florentini exempli notitiam dedit, mihi non visam, in Diss. prælimin. ad Epithalamia exotica. Parmæ 1776." (1775. fol. max.) De-Rossi ipse, Annal. hebræo-typograph. ab ann. 1501 ad 1540. Parmæ 1799. 4. pag. 11. extr. mentione facta libri editi 1514 Fani, addit: "Vid. Epithalamia nostra exotica. Diss. præl. pag. XVIII." Locus igitur est hic: "Cl. Saxius non hebraicos solum sed et arabicos typos mediolanensi ducatu debere contendit, quos primum efformasse atque adhibuisse putat Petrum Paullum Porrum mediolanensem civem qui Taurini degebat" (in excudendo Psalterio. Genuæ 1516. de quo vid. Handbuch für die Literatur — von Rosenmüller. III. T. pag. 369 sq.) "Verum ignorabat Saxius biennio ante quam Porri typi lucem adspicerent, septem Horas Canonicas Fani arabice editas fuisse a Gregorio Georgio Veneto, ex ea quidem arabica typographia quam sumptibus Julii II idem Gregorius illic erexerat, quamque arabicarum omnium pri-

7  
mam "rectissime appellat harum rerum consultissimus Assemannus." Ignorarunt hanc quoque recentissimi scriptores, veluti D. Gottl. Wilh. Meyer, Geschichte der Schrifterklärung, II. T. Götting. 1803. p. 123. Teste Franc. Xaver. Laire, Specim. typographiæ Romanæ XV. Seculi. Romæ 1778. 8. pag. 13 "de typographia *Fani Fortunæ* disseritur in opere, cui titulus: Giornale de' Letterati di Firenze Tom. II. Part. 3. Art. 2." Aldum Manutium primum arabicos typos ligno incidi curasse, perhibet Henr. Scholz, specim. I. Bibliothecæ arabicæ, de typographiis arabicis. Hamburg. 1741. 4. (vid. Arabische Bibliothek von Froriep. 1 Th. 1769. p. 315.) Primum in hoc genere conatum, et quidem Alphabetum arabicum, deprehendi in utraque Itineris sacri Bernhard. de Breydenbach, et germanica et latina editione, *Moguntia*, 1486. fol. refert nonnemo in Allgem. Deutschen Bibliothek, 23. T. 1 St. 1774. pag. 118.

2. Liber mere arabicus, inscriptus

هذا مصاحبت روحانية بين العالمين واسم واحد منها  
شريح سينان واسم الآخر احمد العالم النبي كانت في  
رجوعها من الكعبة نافعة لكل مسلم ومسلمة

h. e. Colloquium spirituale inter duos Doctos, quorum alter Scheich Sinân, alter Ahmed Doctor, habitum in reditu de Cabah, proficuum omni Moslemo et Moslemæ. pagg. 116. Octav. min. Absque loci et anni indicio.

Exstat Anglica versio libri: *Mohammedis imposturae*: that is, a discovery of the manifold forgeries, falshoods, and horrible impieties of the blasphemous seducer Mohammed: with a demonstration of the insufficiencie of his law, contained in the cursed Allkoran; deliuered in a conference had betweene

two Mohametans, in their returne from Mecha. Written long since in Arabicke, and now done into English by *William Bedwell*. Whereunto is annexed the Arabian Trvdgman, interpreting certaine Arabicke terms vsed by Historians: together with an Index of the chapters of the Alkoran, for the vnderstanding of the confutations of that booke. London, 1615. 4. plagg. 15.

Et Bedwellus quidem haud dubitabat, opus hoc trium dialogorum vere esse Mohammedani nonnemini, suas dubitationes cum alio, qui illis satisfaceret, communicantis. At nobis plane persuasum, christiani hominis illud esse, Mohammedis auctoritatem occulte et cuniculis quasi oppugnantis et christianam doctrinam commendantis. Et suadet hoc, præter argumentum libri, cum genus dicendi arabicum, minus illud purum et legitimum, sed ad vulgi sermonem subiunde accedens, tum quo editus est locus, quem ignorabat Bedwellus. *Romæ* typis descriptum esse, testem habemus Erpenium in catalogo librorum arabicorum, addito Rudimentis 1620 Leidæ editis, ubi hæc: "Excusa quoque Romæ sunt inellegantibus typis tria colloquia de religione Mahomedica, in 8°." Et in libro inscripto: De vita et morte Mosis, libri tres. Gilbertus Gaulmyn Molinensis ex Ms. exemplaribus primus Hebraice edidit, Latina interpretatione et Notis illustravit. Parisiis, 1629. 8. passim in Notis locus affertur ex isto Colloquio, veluti pag. 282. 302. 355. 378. 398. et tertio quidem loco, pag. 355. dictum exstat: "Colloquium Achmad et Sinan *Romæ* editum" -- Typi arabici, diversi ab illis, qui Fani 1514 adhibiti sunt, haud quidem prorsus inepti, sed quæ aliæ aliis alligatæ esse debebant litteræ, ut uno quasi calami ductu plures exaratæ videantur, fere omnes solutæ sunt atque intactæ; quod abhorret a consuetudine Arabum.

Qui iisdem editus sit, præter hunc unicum librum, alius nuspiam commemoratur. At celeb. Silvestre de Sacy deprehen-

hendit nuper aliquem, ex hominum memoria pæne elapsum, de quo ex ipsius litteris privatis referendi veniam pro ea, quæ in ipso est, humanitate nobis sponte dedit.

3. Libri inscriptio arabico latina est hæc:

اعتقاد الامانة الاثر كسبى كسبى رومىة . . . .

Fidei orthodoxæ brevis et explicata confessio, quam sacrosancta Romana ecclesia docet, et iis maxime proponendam edit, quicunque ab orientalium errore, ad catholicæ veritatis communionem accedere, et Romano pontifici præstare obedientiam statuunt. Romæ, jussu Sanctissi. D. N. Pii V. in collegio Societatis Jesu. anno M. D. LXVI. 8. pagg. 33.

Est procul dubio idem liber, qui ab Jo. Henr Hottingero, in Promptuario s. Bibliotheca Orientali, Heidelberg. 1653. 4. pag. 19 Appendicis, refertur hoc nomine: "Professio fidei Christianæ, quam profitentur Orientales, qui Ecclesiæ Romanæ se subjiciunt, Arabice; libellus duarum chartarum, excusus typis, sed parum elegantibus." — Igitur sane credibile est, etiam Dialogos illos in eodem Jesuitarum collegio editos esse circa eundem annum. Confessio subinde nova editione repetita est, sed nonnullis, ut ex re esse videbatur, mutatis.

4. Liber arabicus, sed syriacis litteris descriptus, in cujus fronte hæc: . . . .

h. e. Liber septem precepcionum nocturnarum et diurnarum pro quovis die juxta ritum Maronitarum Syrorum, excusus impensis Patris sanctissimi Papæ Gregorii XIII. Anno 1584. Romæ. In ultima pagina hæc: "Sanctissimi D. N. Gregorii XIII. P. M. impensa. Romæ, Anno Domini 1584. Pontificatus XIII. Ex typographia Dominici Basæ." 8. plagg. 21.

Sectiones voluminis sunt XVIII. 1. precatio ante abitum in templum, 2. precatio, quum accesseris ad templi portam,

B

et quando illud intres, 3. precatio vespertina, rel. Decimum quintum locum tenent Psalmi VII pœnitentiales, Syriace. Hos excipit supplicatio ad Sanctos, præmissa admonitione, qua dicitur hæc supplicatio ducta esse ex Francico in Syriacum. Richardus Simon in libro: Voyage du Mont Liban, traduit de l'Italien, du R. P. Jerome Dandini Nonce en ce pais-la. (suivant la copie imprimée) à Paris. 1685. et quidem in Annotationibus, pag. 268. sq. hujus libri mentione facta hæc habet: l'on a ajouté à toutes ces prieres les Pseaumes Penitentiaux en Syriaque, avec les Litanies des Saints; mais je croy, que ces Litanies qui sont à nostre usage, n'ont point esté receües par les Maronites du Mont Liban, si ce n'est depuis fort peu de temps; parceque Gabriel Sionita les avoit ostées de son exemplaire que j'ay entre les mains; et aparemment cette façon de prier les Sains en s'adressant directement à eux n'est pas ordinaire dans l'Eglise Orientale. — Pag. 14 Speciminis historici typographiæ Romanæ XV seculi operâ et studio P. Francisci Xaver. Laire. Romæ, 1778. 8. leguntur hæc: "Eundem eruditum virum (auctorem Catalogi Bibliothecæ Casanatensis) latebat linguarum externarum officina sub Gregorio XIII erecta; ex qua prodiit *Officium Arabicum*, in hac nostra Bibliotheca SS. Trinitatis de Montibus in Colle Hortulorum asservatum, caractere rubro et nigro exaratum per Dominicum Basam 1584. 8." Videtur igitur Romæ etiam infrequentior esse liber, cujus exempla plurima in Orientem migrasse credibile est.

5. Professio, arab. et lat. — اعتقاد الامانة الامتودوكسية  
Brevis orthodoxæ fidei professio, quæ ex præscripto sanctæ sedis apostolicæ ab orientalibus ad sacrosanctæ romanæ ecclesiæ unitatem venientibus facienda proponitur. Jussu sanctiss. Domini nostri D. Clementis papæ VIII. Excusum Romæ in typographia Medicea anno a nativ. Dom. MDXCV. 4. (iisdem, quibus Edrisii Geographia edita est, typis.)  
Eadem editio, arabice tantum. ib. eod.



Steph. Evodius Assemanus, Biblioth. Mediceæ Catalog. pag. 77. commemorat Professionis hujus exemplum calamo scriptum, additque: "Hanc Fidei Professionem, quæ non semel typis sacræ Congregationis de Propaganda Fide edita est, Christiani Orientales omnes, Maronitis exceptis, juxta Decretum Urbani VIII. Pontificis Maximi, statim ac Romam adeunt, coram P. Commissario Sacræ Inquisitionis, debent emittre: aliter a celebratione Missæ, et a Sacramento Confessionis, et Eucharistiæ, etiamsi Catholici sint, rejiciuntur."

"Codex in 4. chartac. constat paginis 16. Arabicis literis, et sermone exaratus a Dominico Sirleto Giarbensi, seu de Giarbe, insula prope urbem Tunesim, qui, Mahumetica ejurata superstitione, Christianam Fidem Romæ amplexus est, anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo quarto, uti in clausula codicis ejusdem Sirleti manu adnotatur."

6. Doctrina Christiana illustriss. et Reverendiss. D. D. Roberti S. R. E. Card. Bellarmini, nunc primum ex Italico idiomate in Arabicum, jussu S. D. N. Pauli V. Pont. Max. translata. per Victorium Scialac Accurensem, et Gabrielem Sionitam Edeniensem, Maronitas è monte Libano, Philosophiæ, ac sacræ Theologiæ professores. Munificentia illustriss. et excellentiss. D. D. Francisci Sauary de Breues, Regis Christianiss. à Consiliis, ejusque apud eundem Summum Pont. Oratoris, et Sereniss Ducis Andegauensis Regis fratris unici Gubernatoris, ad Fidei propagationem, et Orientalium Christianorum commodum. Romæ, ex typographia Sauariana excudebat Stephanus Paulinus MDCXIII. 8. pagg. 171.

Arabicam typographiam Franc. Savary de Breues Romæ instituit eo consilio, ut orientalibus Christianis prospiceret de libris ad fovendam religionem accommodatis. Primus, quem illa tulit, fructus est hic liber. Et quidem, verba sunt præfantium, "Catechismum hunc ex illustriss. D. Card. Bellar-

mini Italico arabice verti ille curavit, ut Alexandrinis potissimum, quorum in urbe totius Aegypti longe pulcherrima dignitatem Consulatus nationis Gallicanæ curat exerceri, extreme laborantibus succurreret.<sup>22</sup> Latinam interpretationem adjunxerunt Maronitæ, et arabicum sermonem vocalium notis instruxerunt propterea, ut quoque arabicarum litterarum studiosis prodesset hic libellus.

7. Dichiaratione più copiosa della Dottrina Christiana del Card. Bellarmino, tradotta di lingua Italiana in lingua Arabica da Giov Hesronita Arcipresbytero. Romæ, typis excudebat Stéphane Paulinus. 1627. 8.

Referunt catalogi ann. 1639. et 1667. Alia editio num. 60.

8. Dilucidatio Speculi verum monstrantis, in qua instruitur in fide Christiana Hamed filius Zin Elabedip in regno Persarum princeps, et refellitur liber a doctoribus persis editus sub titulo, Politor speculi verum monstrantis, per Bonaventuram Malvasiam, Bononiensem, Franciscanum Conventualem. Romæ, typis Congregationis. 1628. 4.

Refert Catalog. ann. 1639. et refert quoque Hottinger in Promptuario, pag. 93. ubi mendose exstat Mulvasiam.

9. Brevis orthodoxæ fidæi professio, quæ ex præscripto S. sedis Apostolicæ ab Orientalibus ad sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ unitatem venientibus facienda proponitur. Arabico-latine. Romæ, apud Franc. Zanettum. 1630. 4.

Commemoratur in Catalog. ann. 1639 nec non in Hottingeri Promptuario f. Biblioth. orient. pag. 92.

10. Doctrina christiana. *التعليم المسيحي*. Parisiis, impensis societatis typographicæ, librorum Officii Ecclesiastici,

jussu Regis constitutæ. cum Privilegio Regis. 1635. In fine: Parisiis, excudebat Antonius Vitray. M. DC. XXXV. 8. pagg. 143.

lisdem, quibus Romana editio 1613. hæc quoque Parisina facta est typis Savarianis, nunc Parisios delatis. Inscriptis librum Armando Johanni, Cardinali Duci de Richelieu societas typographica Regis voluntate ac prætatæ ejusdem Eminentiaæ diligentia pie instituta. Præfatio nulla. Præfixum est privilegium Regis scriptum 9 Dec. 1631. Arabica et latina eadem quæ in Romana editione. vid. Nachrichten von einer Hallischen Bibliothek, V. B. pag. 481.

II. R. P. *Philippi Guadagnoli* Clericorum Reg. Minorum pro christiana religione responsio ad objectiones Ahmed filii Zin Alabedin, Persæ Asphahanensis. — Eadem verba arabice. Romæ, typ. S. Congreg. de Prop. Fide. 1637 superiorum permisso. In infima pagina exstant arabice hæc: Excudit hunc librum Joseph de monte Libani ex vico Baslukith Romæ anno 1637. 4. pagg. 1161. accedunt folia 89. quibus exhibentur summaria libri, indices, corrigenda.

Conscripserat nonnemo de Societate Jesuitarum pro religione christiana librum, dictum a se Speculum ostendens quod verum est, *مرآة مريّة الحق*. Opposuit huic Ahmed (*احمد بن زين العابدين*) responsionem, haud male dictam, *Politor Speculi*, *صافى المرآة*, qua et Mohammedis doctrinam tueretur, et christianæ fidei dogmata, cum primis de trinitate et de Christi divinitate, impugnaret everteretque. Hoc igitur opus refellit coarguitque Guadagnoli, tractatibus quatuor: primo omnes et singuli libri veteris novique testamenti divini esse probantur auctoritate pontificum, conciliorum, patrum, testimonio etiam Korani aliorumque scriptorum

Mohammedanis probatorum, secundo ostenditur, Koranum neutiquam esse Dei legem, quod scateat fraudibus, dolis, ineptiis, tertio doctrina de tribus personis divinis traditur et probatur ex sacra scriptura, ex consiliis et patribus, quarto Christi divinitas confirmatur auctoritate Scripturæ, conciliorum, patrum, Sibyllarum etiam atque aliorum. — Totum opus, præter dedicationem et approbantium formulas, mere arabicum, sed latine prius illud editum, hoc titulo:

Apologia pro christiana religione qua a R. P. *Philippo Guadagnolo* Malleanensi, Clericorum Regul. Minorum S. Theologiæ et Arabicæ linguæ professore, respondetur ad objectiones Ahmed filii Zin Alabedin, Persæ Asphahensis, contentas in libro inscripto *Politor Speculi*. Romæ, typ. S. Congreg. de P. F. 1631. 4. pagg. 607.

Auctorem libri, dicti *Speculum*, Jesuitam dicit Guadagnoli, presso quod latere illum certe haud poterat viri nomine. Fuisse autem Patrem Hieronymum Xavier, Goà ad imperatorem Mogolensium missum, qui et Historiam Christi et Historiam Petri *persice* scripsit, docet Ludov. de Dieu in præfatione sua ad illam Historiam, a se persice et latine cum suis animadversionibus editam Lugduni Bat. 1639. 4. referens locum ex præfatione auctoris ad Historiam Christi, dicentis, alium sibi in manibus librum esse et ad umbilicum fere perductum, qui *Speculum veritatem monstrans* nominetur.

Niceroniam si audias, *Memoires*, T. VII. pag. 275. *Nachrichten*, VIII T. pag. 334. libro Ahmedis 1625. Romam perlato, ab ipso pontifice Urbano VIII jussus est Guadagnoli defensionem elaborare. Quæ cum pervenisset ad Ahmedem, tantam vim habuit in homine Muhammedano, ut sacris christianis lubenter se præberet initiandum. Quapropter voluit Pontifex, tam salutare opus suis sumtibus et latine et arabice edi in lucem. At auctor ipse, neque in sua ad Urbanum epistola, neque in præfatione ad lectorem, hujus rei quidpiam com-

memorat. Nec de opere Malvasiæ (num. 8.) mentionis aliquid uspiam factum est.

Epitome de la Bibliotheca oriental, y occidental — de Don Antonio de Leon Pinelo, Madrid, 1737. fol. Tom. I. col. 284 refert hæc: “P. Felipe Guadagnolo, Clerigo Regular: Apologia por la Religion Christiana, contra Alabedin, que se imprimio en Roma, de orden de la Congregacion de Propaganda Fide, 1631. 1634. 4. 1637. 1752. 4. en Arabe.” At præter eas, quas commemoravimus, editiones alias factas esse, parum credibile.

12. Dominici Germani de Silesia Antitheses fidei, arabice et latine. Romæ, typis Congr. de P. F. 1638. 4.  
Refert Catalogus ann. 1773.

13. Catechismus Cardinalis de Richelieu, arabice. Parisiis 1640. 4 maj. pagg. 415.


Inscriptio libri, sermone arabico, est hæc: Liber doctrinæ christianæ quem composuit Pater excellens honoratus Dn. *Armandus Joannes du Plessis de Richelieu*, Archiepiscopus urbis Lauzun, nunc Cardinalis Ecclesiæ Catholicæ Universalis Apostolicæ Romanæ; convertit illum ex lingua francica in arabicam *Juste de Beauvais*, præfectus Capucinatorum degentium in urbe Bagdad. Jussu Dn. Cardinalis Ducis de Richelieu dantur hi libri absque mercede. Sequuntur hæc verba latina: “De mandato Eminentissimi Domini Cardinalis Ducis de Richelieu, gratis dispensantur.” Lutetiæ Parisiorum, sumptibus societatis typographicæ librorum Officii Ecclesiastici, jussu Regis constitutæ. 1640. Epistolam ad Cardinalem, Gallice scriptam ab interprete, “d’Alep, ce 25 Novembre, 1636.” excipit Typographi præfatio latina, e Lutetia Parisiorum, Cal. Dec. 1640. ex qua videntur nobis hæc transcribenda esse: “Ut typis evulgaretur opus, adjutore opus erat sedulo et perspicaci, qui men-

das præli vitio subinde irrepentes elueret. Obvius fuit *Gabriel Sionita*, e Monte Libano, a Rege nostro Christianissimo jam olim amplissimum stipendium consecutus; favente potissimum Eminent. Cardinale Richelio. Quo nomine totum se debebat nostris conatibus homo devinctissimus. At certe vota nostra per complures annos elusit, ne plane dicam illusisse. Enimvero Sergius quidam Gomerius, dum se Gabrielis consanguineum prædicat, eandem Emin. Cardinalis liberalitatem expertus est. Inde in cognati, beneficiorum immemoris, et tam exiguum laborem aperte detrectantis, provinciam suffectus, iisdem cuniculis patientiam nostram aggrediebatur. Dum enim modici lucelli spe avidus detenetur, quod à nobis Typographis, sub emendationis prætextu, in animum corradere induxerat suum; (homo cujus omnia ab Optimi Principis humanitate pendent;) non nisi potentiorum autoritate potuit flecti, imo nec nisi minis adhibitis in ordinem cogi, nec sine maximo nostro labore in officio contineri. Ad calcem operis perventum erat. Desiderabantur in Epigraphâ septem sive octo ad summum voces, quibus significaretur Eminentissimi Viri pia liberalitas, quâ Orientales omnes tam fœlici et gratuito munere donat. Istius, inquam, sententiæ oratio Arabice exprimenda fuit, quo sibi constet totius tituli ornatus et series. Ea res visa est Sergio, tum ipsius consanguineo Gabrieli, magni alicujus pretii. Ibi labores ut parturientis. Bonus Sergius sudare, gloriari, se ipsum verbis magnificis deprædicare. Ipse Gabriel per totam urbem cursitare, potentiorum limina importunus salutator adire, egregium tantorum studiorum fœtum eruditorum oculis et judiciis obtrudere; paucula videlicet verba ex Latino sermone conversa in maternam linguam. Habebis verba ipsissima. *De mandato Eminent. Cardin. Ducis de Richelieu, gratis dispensantur.* Hoc siquidem in negotio toti dies quindecim periere: donec per graves viros gratitudinis et officii erga Patronum, bonus alumnus, non sine sale et aceto, quo

quo dignus erat, admoneretur. Ea remora injecta est bene currentibus." — Edita hæc sunt superstite Gabr. Sionita, qui obiit Paris. 1648. teste Assemano, Biblioth. Medic. pag. 56.

Præmisso argumento pagg. 4 Catechismus ipse occupat pag. 1—411. habetque formulam arabice additam, qua Anton. Vitray excudisse librum dicitur. Ultimum locum occupat Privilegium Regis idem, quod refert Doctrina christiana, Paris. 1635.

14. Doctrina christiana, arab. italiana. Romæ, typis Prop. 1642. 8. Sette Salmi penitentiali arabici. ib. eod.  
Vid. num. 20.

15. Doctrina christiana.  in Roma, nella Stamperia della sacra Congregazione de' Propaganda Fide. 1642. In infima pagina hæc: Excudit librum Josephus AlBaslukitensis de familia Beth Helâl ex Libano, Romæ. 8. pagg. 140. Arabice, litteris syriacis, et Italice, alternis paginis.

Nec præfationis quidquam conspicitur nec adprobantis formula. Pag. 137 accedit precatio, quæ non est in prioribus editionibus. Catalogi nostri ignorant hanc editionem.

16. Professio orthodoxæ fidei, ab orientalibus facienda, jussu SS. D. N. Urbani PP. VIII edita, arabice et latine. Romæ. 1648. 8. pagg. 43.

Tridentini Concilii in hac editione magnæ sunt partes, nec pauca omissa, quæ erant in prioribus editionibus.

17. Annalium ecclesiasticorum Cæsaris Baronii S. R. E. Card. Arabica epitome. Pars prima. Labore F. Britii Rhe-

C

donensis Capucini in partibus Orientis Missionarii Apostolici. Typis et sumptibus S. Cong. propagandæ fidei. Romæ 1653. 4. Pars secunda. ib. eod.

Annalium sacrorum a creatione mundi ad Christi D. N. incarnationem, Epitome Latino-Arabica Auctore F. Britio Rhedonensi — Romæ, apud Jos. Lunam, Maronitam. 1655. 4.

Continuationis Annalium Ecclesiasticorum eminentiss. Card. Baronii ab anno 1198. usque ad annum 1646. per Henricum Spondanum Appamiarum in Gallia Narbonensi Episcopum factæ et protractæ Arabica Epitome. Pars tertia. Opera et labore P. F. Britii Capucini, in partibus Orientis Prædicatoris Apostolici, nec non Missionis Capucinorum Provinciæ Armoricæ Custodis etc. Romæ typis S. Congr. de P. F. 1671. 4.

Referunt quidem Catalogi ann. 1773 et 1782. sed minus curate. Quæ nos posuimus, transcripta sunt ex Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek in Dresden, 3 B. 4 Sammlung, pag. 296.

18. Hugo Grotius de veritate religionis christianæ. Editio nova cum annotationibus, cui accessit versio arabica. Oxonii 1660. 8.

Arabica versio seorsim excusa pagg. 372 cum arabica inscriptione

كتاب في صحة الشريعة المسيحية نقل من  
اللاطيني الي العربي

ut possent exempla inter orientales distrahi. Quidquid operis typographicis impendendum erat, sibi imputari voluit Rob. Boyle; huic igitur librum inscripsit E. P. hoc est, *Edwardus P. cock*, addita ad lectorem monitione hac: "Monendus est lector, si pauca quædam libro sexto in versione arabica omissa vel mutata repererit, ideo hoc factum ne quid de Mohammedanorum rebus et sententia affirmaretur, quod non Authorum, apud ipsos omni exceptione majorum, fide et testimonio con-



staret; idque Authorem ipsum, dum in vivis esset, ea de re consultum, faciendum censuisse: e. g. quod de columba ad aurem Mohammedis advolante à nostris asseritur, etc." Præfatio etiam Grotii ad Hieron. Bignonium ommissa, et nova ab arabico interprete addita, prudenter et circumspecte scripta. Pocokius enim Constantinopoli redux 1640 Parisiis adierat Grotium, conveneratque inter utrumque de negotio peragendo. Sed mora postmodum facienda erat ob sumtus, donec Boylius ultro sua liberalitate succurreret. Missa sunt subinde exempla in Orientem, cum primis Halebum, sed videtur res omnis fructum tulisse exiguum. Vid. Life of Ed. Pocock by Twells, pag. 18 et pag 56 sqq.

19. Thomæ a Kempis de imitatione Christi libri quatuor, de Latino in Arabicum versi a P. F. Cœlestino a S. Liduina Carmelita discalceato. Romæ, typis S. Congreg. de P. F. 1663. 8. (num. 53.)

In Præfatione ad Philarabas, facta commendatione linguæ arabicæ, cujus unius potissimum usu orientalium populorum conversio, spiritualis profectus et salus æterna possit procurari, hæc addit, qui librum vertit: "In hunc præcipue finem, jam ab annis XXV. dum in missionibus Syriæ commemorarer, librum hunc in linguam arabicam interpretatus sum, ut scilicet communi Orientalium saluti promovendæ suaviter viam sternerem, et cunctis aliquid impertirer emolumenti spiritualiter. — Tibi pariter, benigne Lector, cunctisque ad Missiones Orientis aspirantibus hoc modico labore prodesse volui, et calcare addere ad strenue currendum in stadio et studio hujus linguæ — Pauca quoque breviter ut attexam superest, de quibus Te monitum volui B. L. primo, quantum ad *Prooemium Arabicum*, quod hic proxime subsequitur: illud a me de industria adjunctum, ut orientalibus potissimum libri hujus notitiam manifestarem, et qua de causa in linguam ipsorum versum

sit, insinuarem. Ne mireris autem, illud ab ipsa interpretatione nonnihil discrepare, quantum ad phrasin Arabicam et styli ornatum: cum enim hic nulli verborum contextui, sicut in interpretatione evenire solet, alligatus eram, stylo paululum elegantiori, quantum potui, utendum fuit, ne a solita Orientalium consuetudine recederem, qui in Præfatione libri cujuscunque omnem elegantiam et ornatum adhibere solent" etc. Vid. Theoph. Sinceri Bibliotheca Historico-Critica, Noriberg. 1736, pag. 105. sq. et vid. quoque Hottingeri Promptuarium, Heidelberg 1658. pag. 89. sqq. ubi libri nondum editi inscriptio arabica traditur, et specimen aliquod versionis, hac dicta sententia: "Tersa est translatio et nitidior, quam quæ ab homine Europæo expectari possit."

Erat ille P. Cœlestinus Jacobi Golii frater germanus, Petrus, ab avunculo, Jo. Hemelario, Antwerp. Canonico, viro probo et docto, revocatus ad religionem avitam, et postea adscriptus Carmelitarum Ordini novo nomine Cœlestini à Sancta Lidwina. Anno 1675 Huntingtonus Halebo significavit per litteras Ed. Pocockio, venisse ad se P. Cœlestinum, Golii fratrem, ut quomodo valeat, quid agat amicus Pocockius, cognosceret; missum eundem esse cum tribus aliis ad oras Malabaricas, confirmandis Christianis S. Thomæ, quod linguæ Syriacæ, qua in sacris illi utantur, sit perquam gnarus; affirmasse ipsum, redire sibi juventutem; hominem septuagenario duobus annis majorem valere viribus, atque in incedendo non minus quam olim esse agilem. Vid. The Life of Dr. Ed. Pocock, by Twells. pag. 71.

Stephanus Evod. Assemanus, pag. 133 inter Codd. Mss. orient. Bibliothecæ Palatinæ Mediceæ, commemoravit hunc, chartaceum, pagg. 250. 4. arabicis litteris exaratum: Thomæ a Kempis de imitatione Christi libri quatuor, e Latino in Arabicum sermonem translata a Patre Fr. Ignatio Aurelianensi, sacerdote Capuccino Ordinis S. Francisci, anno Chr. 1638. in ur-

be Alepi. subiecitque sententiam severam hanc: "Cum editione Romæ 1663 facta concordat ad verbum prænotata patris Capucini interpretatio, quæ quum annos quinque supra viginti Cœlestini Carmelitæ editionem præcedat: idem Cœlestinus Arabicorum Thomæ a Kempis librorum, ab antedicto Ignatio Capucino editorum, plagiarius potius, quam interpres dicendus est."

20. Dottrina Christiana ad uso de' Fedeli Orientali, già per ordine della S. Mem. di Paolo V. Summo Pontifice tradotta d'Italiano in Latino, et Arabico, da Vittorio Scialac Accurense, e Gabriele Sionita Edeniense, Maroniti del Monte Libano. Et hora d'ordine della sacra Cong. de Prop. Fide nouamente ristampata, e per più commodità, et utilità di quelle nationi tradotta in Italiano dal R. P. F. Alessio da Todi Predicatore, e Lettore Generale di lingua Arabica in S. Pietro Montorio di Roma. Aggiuntoui nel fine i setti Salmi Penitentiali, con le litanie de' Santi, e Preci, et le Litanie della beatissima Vergine. In Roma. 1668. 8.

Quæ in hac editione adsunt Adprobantium formulæ, Dedicatio, Præfatio, anni sunt 1642. referuntque, novam editionem nunc paratam fuisse, quod utriusque, et Romanæ (1613) et Parisinæ (1635) exempla prorsus deficerent; in Latinæ versionis locum Italicam successisse eapropter, quod latina lingua minus grata et minus cognita esset orientalibus christianis, quam italica; in arabicis nihil mutatum esse præter pauciores voces singulas, at in vertendis presse arabicis fieri haud potuisse, quin permultum recedendum esset a sermone italico Bellarmini, ob insignem utriusque linguæ discrepantiam.

Pars libri, quæ psalmos pœnitentiales et precationum formulas refert, separatim nonnunquam deprehenditur, habetque suam inscriptionem, ut ejusmodi exemplum speciem habeat libri singularis. Et Catalogi etiam ann. 1773 et 1782 referunt: Psalmi pœnitent. arab. 1642. 8.

21. Doctrina christiana arabice facta a Johanne Hesronita Archipresbytero. Romæ 1671. 8.  
Refert Catalog. ann. 1773.

22. Catechismus Ecclesiæ Anglicanæ, arabice. 1671.

Eduardum Pocockium versionem a se factam Oxonii typis edi curasse, et exempla Huntingtoto Halebum misisse, refert Twells, in Pocock's Life, pag. 68. Hottingeri, in Promtuariorio, pag. 93 verba sunt: "Et ego jam antehac Confessionem Helveticam Arabice verti; quam forte commode alibi, et quidem proxime, totam exhibere dabitur." Sed non putem, eam typis descriptam exstare.

23. Liturgia Ecclesiæ Anglicanæ, arabice vertit Ed. Pocock. Oxonii 1674. 8.  
Catalogi Aurivillii P. II. pag. 19. num. 334.

24. Birgitta s. Preces, quas vertebat Josephus Banerius. Romæ, typis Propag. 1677. 12.  
Ex Catalog. ann. 1773 et 1782.

25. Michael Febure præcipuæ solutiones objectionum, quæ fieri solent a Turcis, Judæis, et Hæreticis orientalibus. Romæ, typis Prop. 1681. 12.  
Ibid.

26 Breve Compendio della perfection christiana, diviso in due parti. Dove si vede una prattica mirabile per unire l'anima con Dio. Trasportato in Idioma arabico da Monsign. *Timotheo Agnelini* Arcivescopo di Mardin nella Mesopotamia. In Padova, nella stamperia del Seminario. 1688. 8. pagg. 232.

Tractationem ipsam antecedunt pagg. 24. hæc: 1. Dedicatio libri ad Mariam Virginem. 2. Præfatio ad Lectorem. Com-

memorata arabicæ linguæ præstantia, hoc tamen in ea desideratur, quod non utatur interpungendi signis. Igitur ex Francorum lingua ea adhibita hîc esse, quæ audiant ویرکولا,

hoc est *virgula*, et sic porro. Vocales autem appositas esse juxta usum sermonis vulgaris, sic enim, ait præfationis auctor, "jussit nos Dn. Cardinalis Barbarigo (sic), ut usus fiat libri, ut adhibeatur in docendis pueris scholæ nostræ, hique discant, quantum ille faciat in spiritualibus atque in unione hominis cum Deo summo, ipsius Domîno. 3. Exempla variorum typorum orientalium, etiam Pers. Turcic. Armen. quibus unaquaque lingua exprimitur præceptum aliquod paucorum versuum, additis arabice his: Apposuimus hasce linguas, ut exhibeamus tibi specimen litterarum, quas fieri curavimus in hac regione in usum Studiosorum, nec non ut intelligas, in omnibus quidem linguis populisque dicta exstare de vera ratione hujus perfectionis, sed non tradita esse præcepta firma, quomodo ad eam perveniendum sit, qualia tradit hic liber. 4. Index corrigendorum, præmissa excusatione, quod qui librum excuderint, nondum sint exercitati in legendis orientalibus linguis, et quod editor ipse in emendando non omnia animadverterit.

Libri nulla uspiam mentio nobis occurrit nisi in Theoph. Sigefr. Bayeri Historia Congregationis Cardinalium de Propaganda fide. Regiomonti 1721. 4. ubi pag. 20. hæc: "orientalium librorum elegans typographia quoque Paduæ in Seminario fuit. Est mihi arabica versio libri, *Breue compendio della perfection christiana*, interprete Theophilo Agnelio Archiepiscopo Mardeno, in quo multa specimina ejus typographiæ præmittuntur Syriacis, Hebraicis . . . litteris, sane elegantibus." In margine exstat: "A. 1617." in quo erratum est.

27. Zaphi Diarbechirensis Theatrum. Patavii. 1690. 8.)



Pag. 1. præcedunt tria loca biblica arabico latina. pag 2 incipit opus arabice, præfixo titulo: *ديوان مناجات الحبيب ونصايح الغريب لصعفي الديار بكري* cui pag. 3 latina respondent: Zaphi Diarbechirensis Theatrum Arabico-Latinum Soliloquii ad Dilectum et Admonitiones ad Proximum divina et morali poësi compactæ. In calce: Patavii, ex typographia Seminarii, opera Joh. Cagnolini. Ann. M. DC. XC. Volumen hoc pagg. 335 exhibet poëmata moralia de virtutibus et vitiis. Qui edidit Zaphi, non est nostra sententia alius, quam idem Timotheus Agnellini.

Ejusdem quoque est liber, inscriptus: Proverbii utili, e virtuosii in lingua Araba, Persiana, e Turca, gran parte in versi, con la loro ispiegatione in lingua latina, et Italiana: et alcuni vocabuli di dette lingue. Raccolti da Timotheo Agnellini il minimo frà i Vescovi della Mesopotamia. Sequitur inscriptio arabica, qua dicitur liber editus esse: ad instituendos pueros scholarum nostrarum Patavii in lingua arabica, persica, turcica *بقلم احقر الاسافه طيباطوس صعفي الضعيف الحبيبي* in Padova nella Stamperia del Seminario. 1688. 8. pagg. 55 et 24.

28. Preces diurnæ et nocturnæ, arabice. Romæ 1692. 12.

Postrema pagina exstat adprobantium formula, d. 16 Febr. 1692 hæc: Nos infrascripti libellum cui titulus est Præces diurnæ et nocturnæ arabico sermone digestæ ad usum nationum orientalium vidimus . . . Paginis duabus proxime antecedentibus commemorantur nomina eorum, quorum sumtibus editiones libri factæ. Primam largitus est Innocentius XII. P. M. secundam Aeneas, cognomento Churi, Bagdadensis; tertiam Crucifer Petri, *حامل صليب مار بطرس*, quartam  
Con-



Conte de Palatino, quintam Sacerdos aliquis Hispanicus, et sextam, anni 1692. Obeidallah Andreas Halebensis. Catalogi nullam referunt.

29. Liturgia græce et arabice edita in Walachia. 1701. 4. pagg. 96 et 253 præter præfationes.

Inscriptio libri mere arabica hæc

كتاب القديسات الثلاثة الالهيه . . . . .

h. e. Liber trium Sacrorum divinorum unacum aliis pertinentibus ad preces orthodoxas, impressus nunc primum græce et arabice rogante et impetrante Domino Athanasio Patriarcha Antiocheno, sumtibus Principis Ungaro-Walachicæ Domini Joannis Constantini Besaraba Woiwoda, primatum universalem tenente Theodosio, in cœnobio Mariæ dicto Synagobu, anno Christi 1701. opera Anthimi Hieromonachi. Altera primi folii facies exhibet insignia Principis. Sequitur arabice et græce alternis paginis Athanasii Patriarchæ epistola ad Joannem Constantinum Besaraba Brancowân Woiwoda totius Ungaro-Walachicæ. Scribit Athanasius:

Audivisse se de rebus præclaris Principis, et fama rerum permotum venisse Antiochiâ, ut præsens videret cognosceretque, fama quæ accepisset. Præsentem se factum plura etiam et majora oculis usurpasse, exstructa templa et Monasteria, imprimis scholas scientiarum utilium, nempe Græcarum et Slavonicarum, et linguæ indigenarum, præterea institutas typographias in dictis linguis, qualia commoda a nullo priorum principum essent parata. Visis hisce apud animum se constituisse, ut rogaret Principem, velit sua beneficentia completi quoque Antiochiam, ubi et credentes primo Christianorum nomen nacti essent, et constituta fuisset prima sedes Petri apostolorum principis; quod sacerdotes illius regionis maximam partem pauperes sint ac egeni, vix pares vitæ sustentandæ,

D

libri autem arabici, utpote calamo exarati, magno pretio veniant. quapropter pluribus, ob inopiam, invitis illis, vacandum sit ab officio, cum tamen Liturgiæ liber sit pernecessarius sacerdotibus omnibus, et proficiuus Orthodoxis. At clementiam Principis, Dei nutu, occupasse suam istam petitionem, quæsisisse ex se Principem, sitne arabibus orthodoxis copia librorum? Igitur se declarasse animo conceptam rogationem, hancque a Principe tanta benignitate receptam esse, ut statim jussa dederit de Liturgia hac arabico sermone excudenda suis sumtibus. Cognita autem ratione, quæ locum haberet in istius regionis coetibus orthodoxis, ut αἱ Ἐυχαὶ (الافاشيين), orationes sacerdotis) legantur secreto (سراً, μυστικῶς) arabico sermone, αἱ Ἐκφωνήσεις autem, quæ alta voce pronuntientur, maximam partem proferantur græce, statuisset Principem, non τὰς Ἐκφωνήσεις tantum sed et τὰς Ἐυχὰς omnes excudendas esse utràque lingua, ut liber usui esset non tantum arabice loquentibus, nec tantum utramque linguam intelligentibus, sed Romanis quoque sacerdotibus, et usus libri in quam plurimos redundaret. Atque absoluta impressione jussisset Principem, distribui sacerdotibus gente arabibus exempla gratis, in sui memoriam, ut queant divino officio fungi. — Scripta est hæc epistola anno Chr. 1701 mense Kanun secundo, Januario; loci ubi scripta mentione haud facta.

Excipit hanc Athanasii Patriarchæ epistolam alia, absque temporis notatione, ad universum τὰγμα (ἄρχιεπίσκοπος) sacerdotum arabicæ originis orthodoxorum, in qua hæc: Nostis, o mei, quæ sit librorum infrequentia inter nostræ gentis homines orthodoxos, etiam sacerdotes, et non posse illos nisi magno pretio redimi. Factum est, ut ipse iter facerem Constantinopolin, atque hinc in Walachiam, permotus fama Principis, Jo. Constantini Woiwod Bascharaba Brancowáni. Exceptus ab eo



clementer exposui, interrogatus, de paucitate librorum ecclesiasticorum inter nos, facta nominatim mentione liturgiæ divinæ (كتاب القدوق الالهى). Et ausus sum rogare, velit Ipse prospicere Ecclesiis sedis Antiochenæ arabicis orthodoxis, et decernere ut Liturgiæ liber excudatur utroque sermone. Ille lubenter locum dans precationi decrevit, ut qui præsto esset artis typographicæ peritus sacerdos, Ἀνθίμος, pararet arabicos typos, et excuderet τάξι (طقس) Officii Sancti divini utrâque lingua, græco-arabica. Absoluta editione voluit Celsitudo ipsius, gratis distribui exempla sacerdotibus partium arabicarum orthodoxis, ad salutem animæ suæ et quietem animarum suorum parentum. Vestrum igitur est quibus hic liber obtingit, memorare nomen ejus in quovis officio, et vota ad Deum pro illo facere.

Subjicitur excusatio typographi, verbis arabicis, rogantis veniam erratorum typographicorum, quod arabici sermonis fuerit antea ignarus. Postrema voluminis pagina hæc exstant: Ἐτυπώθη ἡ ψυχωφελεστάτη αὐτῆ ἱερᾷ λειτουργίᾳ, νῦν πρωτότον εἰς ἑλληνοαραβικὴν διάλεκτον ἐπὶ τάγματι μὲν καὶ δαπάνῃ τῆ — — ἡγεμόνος πάσης Οὐγροβλαχίας, κυρ. κυρὶς Ἰωάννης Κωνσταντίνος Μπασαράμπα Βοεβόνδα παρὰ Ἀνθίμου Ἱερομονάχου τῆ ἐξ Ἰβηρίας διορθώσει δὲ κατὰ θάτεραν μόνην τὴν τῶν Ἑλλήνων διάλεκτον, Ἰγνατίου Ἱερομονάχου Φιτυάνου τῆ ἐκ Χαλδίας. ἐν τῇ ἱερᾷ τῶν εἰσοδίων τῆς Θεοτοκίας μονῇ τῆ ΣΥΝΑΓΩΓΟΥ ἐν ἔτει σωτηρίῳ α ψ α. κατὰ μῆνα Ἰαννουάριον.

Tria illa Sacra, f. tres formulæ, sunt 1. Chrysostomi, 2. Basilii Magni, 3. τῶν προηγουμένων. Sed alia multa, in sacris peragenda, et præcedunt et sequuntur. Græca et arabica sunt divisim singulis paginis e regione posita, Arabica vocalium signis aliisque grammaticis notis prorsus destituta. Typi arabici luculenti. Nobis non constat, qui mentionem unquam fecerit libri, haud dubie inter Europæos perquam infrequentis. Quod



penus nos est exemplum, Lipsia ex Breitkopfsianæ bibliothecæ venditione publica ad nos migravit.

Jos. Simonius Assemâni Biblioth. Orient. Tom. I. pag. 631 commemorat libros sex, Halébi sumtibus Athanasii Græcorum Antiocheni Patriarchæ arabice editos, inter codices arabicos ex itinere orientali secum allatos. Nobis quamquam haud contigit eorum aliquem oculis usurpare, certum tamen videtur, Halebenses hos libros iisdem, quibus Liturgia græco-arabica, typis descriptos esse. Ita cur statuamus, ratio est hæc. Est e numero Halebensium editionum liber Psalmorum, editus ann. 1706. Relationem de hoc libro qualemcunque, a doct. Aléto Vienna secum communicatam, exhibet celeb. Rosenmüller, Handbuch für die Literatur der biblischen Kritik und Exegese. III Tom. 1799. pag. 52. haud memor, aliam eamque præstantiorem in promptu esse in (Jo. Christ. Goeze) Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu Dresden, I T. pag. 203. Primi folii paginæ alteri impressa sunt insignia Principis Walachiæ, positus superne vocibus ΕΛΕΩ ΘΕΟΥ, et ex uno latere litteris initialibus

I.  
B.  
A.  
Π.

ex altero

K.  
B.  
N. (immo vero H)  
8.

teste Aléto, vim earum et sensum haud prodente. Goezius autem tradit, præfatione arabica librum dedicatum esse Walachiæ tum temporis Principi, litterasque græcas initiales, insigni additas, latine sic esse accipiendas: Johannes Constantinus Bassaraba Bracovanus Princeps et Dux totius Walachiæ. Græce sunt: Ἰωάννης Κωνσταντῖνος Βασαράβας Βοεβόνδας Ἀυθέντης Ἡγεμὼν Πάσης Οὐγκροβλαχίας, quæ in Liturgia videas sub ipso insigni expressa. Præfationis autem legendæ occasionem qui habuerit, spondere ausim ex ea intellecturum fore, typographiam arabicam, Constantini impensis paratam ad Li-

turgiam edendam, dono à Principe datam fuisse Athanasio Patriarchæ, atque ex Walachia Halëbum translata, ut vulgandis libris ecclesiasticis ibi magis prodesse posset.

Ex his, quæ a nobis dicta sunt, quid de Bibliorum editione arabica ann. 1700 in Walachia, ut fertur, et quidem Bukuresti facta statuendum sit, facile unusquisque poterit intelligere, et nobis quid videatur suo loco declarabitur. Hic autem de Halebensibus editionibus, præter Psalmos, Evangelia IV et Lectiones evangelicas, commemorandæ sunt hæc:

30. Johannis Chrysostomi Homiliæ XXXIV. Halebi. 1707. fol.

Formulam "sine anno et loco" adscripsit Assemanus loc. cit. Biblioth. Orient. T. I. pag. 631. sed alio loco, Biblioth. Orient. Tom. III pag. 25. hæc extant: "Arabico sermone in urbe Alepo anno Christi 1707 sumptibus Athanasii Græcorum Antiocheni Patriarchæ typis prodiit liber inscriptus *الدمر المنتخب ليوحنا فم الذهب*, Margarita electa *Joannis Chrysostomi*, in quo triginta quatuor selectæ sancti Doctoris homiliæ continentur, videlicet: 1. Ad parentes adhortatio de educatione liberorum" etc.

31. Paracleticum Arabicum. Halebi 1711. fol.

In Bibliothecæ Apostolicæ Vaticanæ codicum mstorum Catalog. Tom. II. pag. 432 agitur de codice arabico, sed Syrorum litteris rotundis scripto, in quo est Paracleticum juxta ritum Syrorum Melchitarum, inscriptum *المركلستيكون الذي تفسيره المعزى* AlBaraclecticûn, h. e. Consolatorium. Syriace Bujaje, *حصه نأ*, dicuntur ejusmodi Orationes, quæ recitari solent in officio defunctorum, Assemani Biblioth. Orient. Tom. III. pag. 66 not. 1. et pag. 72. not. 7.

32. Athanasii Patriarchæ Jerosolymitani Homiliæ LXVI. Joannis Chysostomi Homilia de Paschate resurrectionis. Chrysanthi Patriarchæ Jerosolymitani Epistola ad suos Diœcesanos de impressione hujus libri, græc. arab. Halebi. 1711. fol.

Typographia arabica in monte Libano edidit complures libros. Erat vero, docente Assemano, Biblioth. Mediceæ Catalog pag. 64 "Abdalla Ben Zacher, Clericus Melchita, qui arabicam typographiam omnium præstantissimam decem abhinc annis (circa ann. 1730.) in urbe Aleppi suo Marte excogitavit, et apud Monasterium S. Joannis Baptistæ de Soairo, in meridionali Kesroani parte positum, deinde erexit." Nonnulla de eâdem retulit Steph. Schulz, Leitungen des Höchsten — 5 T. Halle, 1775. 8. pag. 449. sq. at, quamquam ipse locum adiit, minus accurate, lapsus etiam in eo, quod typos in Gallia fusos, et auctorem Solimanum assereret. Rectiora et uberiora tradidit, qui longiorem ibi moram fecit, Volney, Reise nach Syrien und Aegypten in den Jahren 1783. 84. 85. aus dem Französischen, Jena, 1788. 8. II T. pag. 141. sq. Ad unum Abdallam Halebensem omnia is refert, quem ingeniosum hominem ac solertem, etiam in scalpendo exercitatum dicit et typos eosque omnium elegantissimos efformasse ac fudisse, et cætera omnia in monasterio, quod fratrem haberet præfectum, perfecisse. Enumerat Volney libros XIII ex hac typographia profectos, sed brevissimis, singulorum nomen nonnisi gallicis litteris exhibens. Juvat eos, prætermisissis tribus Biblicis, huc referre, addito nomine litteris arabicis.

33. Mizân el Zaman, ميزان الزمان, Libra temporis, seu differentia temporis atque æternitatis, auctore P. Nieremberg, Societ. Jesu.

34. Abâtil el Aalam, اباطيل العالم, Vanitates mundi, auct. Didaco Stella, Societ. Jesu.

35. Morched el Kâti, مرشد الخطاطي, Rector peccatoris, auct. Ludov. de Granada, Societ. Jesu.
36. Morched el Kâhen, مرشد الكاهن, Rector sacerdotis.
37. Morched el Masihi, مرشد المسيحي, Rector Christiani.
38. Qoût el Nafs, قوت النفس, Alimentum animæ.
39. Taammol el Asbouè, تأمل الاسبوع, Meditatio Hebdomadis sacræ.
40. Taâlim el Masihi, تعليم المسيحي, Doctrina Christiana.
41. Tafsir el Subât, تفسير السبعات, Expositio septem Psalmorum pœnitentialium.
42. El Soueiât, السوعات, Horæ Christianæ; ad quem librum pertinet quoque Perfectio Christiani auct. Rodriguez, et Regula Monachorum; qui ambo libri editi sunt Romæ.  
Monasterium, hac typographia nobilitatum, arabico sermone dicitur  
دير القديس ماري يوحنا الصايف الملقب بالثوير
- h. e. monasterium S. Mâr Johannis Baptistæ, quod cognomen habet à Scho-weir; est enim ex adverso vici Schoweir, in monte Kesrowân. Monachi sunt Melkitæ et Pontificis Romani partibus addicti, sed servant formulam Basiliæ M. a romana curia probatam. Volney dum ibi moram faceret, Mo-

nachorum quatuor erant, qui curarent res typographiæ, aliorum quatuor erat libros compingere. At quum Monasterium adiret Browne, Anglus. 1797. cessabant operæ, quod charta peregre petenda magni constaret, et libris deessent emtores. W. G. Browne's Reisen in Afrika, Aegypten und Syrien, in den Jahren 1792 bis 1798. aus dem Englischen. Leipzig. 1800. pag. 568. vel versionis M. C. Sprengelii, Weimar. 1800. pag. 492.

43. Liber mere arabicus, absque loci mentione, sed Londini editus 1728. 8. pagg. 46.

Insunt hæc: — *توااريخ المقدسة* Epitome historiæ sacræ s. biblicæ; symbolum apostolorum; oratio Dominica; expositio dogmatum christianæ religionis præcipuorum. Exempla, paucis exceptis, in orientem missa.

44. Catechismus Lutheri minor arabice, quem olim sub ductu b. Sal. Negri Damasceni in hanc linguam transtulit jamque in usum certæ gentis Muhammedanæ vulgavit Jo. Henr. Callenberg phil. prof. publ. Halæ 1729. 12.

Præfationis d. XXVI. Mart. sunt hæc: Jam typis exscribi libellum curavi, postquam vir pius me hortatus est, ut in gratiam certæ gentis Muhammedanæ aliquid arabice scriberem, et evergetæ quidam sua me juverunt liberalitate, ut typos arabicos, et reliqua, quæ ad editionem necessaria erant, potuerim comparare. Maxima exemplarium pars genti illi Muhammedanæ destinata est; pauca hic venalia exponentur.

45. Prima doctrinæ christianæ elementa rudioribus scripta a b. Aug. Herm. Franckio, in usum gentium quarundam Muhammedanarum arabice reddidit Io. Henr. Callenberg phil. prof. publ. Halæ 1730. 12.

Præ-

Præfatiuncula, d. IX. Febr. hæc: "Quum superiore anno Lutheri catechismum arabice ederem, præfatus sum de typographico arabico, eum in finem bonorum sumtibus instituto, ut in eo libelli sanctioris argumenti pro Muhammedanis parerentur. Commovit Deus ab illo tempore nonnullorum animos, ut plures in hanc rem contulerint symbolas, quibus adjunctus jam alterum hunc de religione Christiana libellum publico, postquam prioris exempla fere omnia in Moslemorum regiones sunt deportata." Sed ab exemplis Moslemorum usui destinatis abest et inscriptio latina et præfatio.

46. Thomæ a Kempis de imitatione Christi libri IV. Romæ ex typographia Congr. de P. F. 1730. Sumtibus Joh. Chiath, presbyteri Coptitæ.

Teste Steph. Evod. Assemano, Biblioth. Medic. Catal. pag. 133. Catal. ann. 1773 et 1782 non referunt hanc editionem.

47. Via salutis descripta a ven. Joan. Anastasio Freylinghausenio — jam in usum quorundam Moslemorum arabice exposita a Jo. Henr. Callenberg. Halæ 1731. 12.

Præfatio scripta d. VII. Sept. (num. 51.)

48. Hugonis Grotii adversus Muhammedanos liber ab Eduardo Pocockio in linguam arabicam translatus, in usum Moslemorum seorsum recudendum curavit Io. Henr. Callenberg. Halæ 1731. 12.

Est liber VI Grotiani operis de veritate religionis Christianæ (num. 18.) Ex præfatione, d. X. Octbr. sunt hæc: Hoc libro duce si Muhammedani quidam religionis suæ falsitatem perspiciant, cupiantque Christi doctrinam amplecti, propius illos veritatem docebunt antea a me vulgati Arabici libelli, scilicet, Servatoris nostri concio montana, narratio

E



de ejus in vitam reditu, Pauli Apostoli doctrina de justitia fidei, Lutheri Catechismus minor, Aug. Herm. Franckii principia doctrinæ Christianæ, Jo. Anast. Freylinghausenii via salutis. —

49. Hugonis Grotii de Novi Testamenti auctoritate liber ab Eduardo Pocockio in linguam arabicam translatus, in usum Judæorum orientalium seorsum recudendum curavit I. H. Callenberg. Halæ 1733. 12.

Est Grotiani operis liber III. Ex præfatione Cal. Dec. scripta: In gratiam illorum, qui in turcico regno, atque in bar-  
baria Africana habitant, Judæorum, lingua arabica separatim evulgo, quæ Grotius in suis de veritate Christiana libris de N. T. veritate atque auctoritate disseruit.

50. Hugonis Grotii adversus Judæos liber ab Eduardo Pocockio in linguam arabicam translatus, in usum Judæorum orientalium seorsum recudendum curavit I. H. Callenberg. Halæ 1735. 12.

Est liber V. Grotii. Præfatio scripta X. Mart.

51. Via salutis — Editio secunda.. Halæ 1737. 12.  
(num 47.)

Huic editioni præfixa est Jesu Christi supplicatio pontificalis, paginarum 4.

52. Ex libro Londinensi (num. 43.) Compendium historiæ sacræ seorsum recudi curavit I. H. Callenberg. Halæ 1737.

53. Thomæ Kempisii de Christo imitando liber primus ex latino in arabicum sermonem versus a P. F. Cœlestino a S. Li-  
duina Carmelita discalceato. Recudi curavit I. H. Callenberg,



phil. prof. publ. ord. Halæ 1738. Liber II. ib. eod. Lib. III. ib. eod. Lib. IV. 1739. 8. (num. 19.)

Ex præfatione XXI Nov. 1737. "Menda typographica, ab interprete notata, aliaque a me reperta, correxi. Cæterum nihil mutavi, nisi quod pauca verba, spectantia ad Sanctorum cultum, ignem purgatoreum, aliosque hujus generis errores, sustulerim, lacuna punctis signata. Sed locos istos, cum latinis Cœlestini præfationibus, æque prætermissis, alibi conjunctim nostratibus reddam." Quod num præstitum unquam fuerit, nos ignoramus.

54. Th. a Kempis de imitatione Christi — Romæ, typis Petri Ferri, litteris Syriacis, curante P. D. Josaphat Dapsi Maronita, Monachorum sanctorum Petri et Marcellini de Vrbe Abbate, ann. 1738.

Teste Assemano, Biblioth. Medic. Catalog. pag. 133.

55. Thomæ a Kempis editio, typis Abdallæ Zacheri Diaconi Melchitæ, elegantiori Arabismo donata, in monte Libano. 1739.

Teste eodem Assemano, loc. cit. Hancce editionem haud commemoravit Volney. Sed hoc tamen observavit, Missionarios Gazæ, Tripoli, Beiruthi id modo agere, ut orationes sacras ad coetum suum habeant, et pueros Catechismo, Th. a Kempis libro de imitando Christo, et Psalmis imbuant.

56. Ejusdem libri alia editio, impensis P. Fr. Antonii Hierosolymitani Maronitæ, Orientalium in sacrosancta Basilica Principis Apostolorum de Urbe Confessarii. Romæ, typis Congr. de P. F. 1742. P. I et II. 12.

Iterum teste Assemano, loc. cit. nec non Catal. ann. 1772.

57. Basillii Magni, Cæsareensis Archiepiscopi, Regula ad Monachos. Romæ, typis Congr. de P. F. 1745. fol.  
Catalog. ann. 1773 et 1782.

58. Paulli Segneri Devotus Mariæ. ib. 1765. 12.  
Jesuitarum Societatis erat Paulus Segneri.

59. Doctrina christiana, plurium orationum Appendice aucta per Raphaelem Tuki, Episcopum Arsenovensem. Romæ, typ. C. de P. F. 1770. 8.  
Catalog. ann. 1773 et 1782.

60. Dichiarazione più copiosa della dottrina christiana composta dall' eminentissimo, e reverend. Signor Cardinal Bellarmino tradotta dalla lingua Italiana nell' Araba, ed ora di bel nuovo stampata. In Roma MDCCLXX. 8. pagg 411.

Liber, præter inscriptionem, mere arabicus. Præfationis loco hæc pag. 3. posita: "In nomine Patris et Filii et Spiritus S. Dei Unius. Declaratio doctrinæ Christianæ per interrogationes et responsiones alternas discipuli et doctoris translata ex Latino in Arabicum, ad docendos parvulos, et homines simplices, ac rudes mysteriorum div. et religionis christianæ catholicæ, auctorem habet Cardinalem dictum Rob. Bellarminum, et (olim) excusa est jussu S. D. Papæ Urbani VIII Pontificis summi. (vid. num. 7.)

Exemplo, quo nos utimur, junctus est alius liber, iisdem typis Congr. d. P. F. editus, mere arabicus, et arabice quoque inscriptus: Directio ad confessionem et sumendam Evcharistiam, sequitur de virtutibus divinis (Fide, Spe, Charitate), nec non exercitia quædam christiano homini facienda. pagg. 109. 8.

61. — رسالة متجميع انتشار الايمان المقدس —  
 Epistola sacræ Congregationis de Propaganda Fide ad Mar  
 Ignatium, qui et Gregorius III. Patriarcham Antiochenum  
 nationis Syrorum, scripta Romæ 1775. 4. pagg. 35. syriace, et  
 arabice litteris syriacis, alternis paginis.

Scripta est hæc epistola jussu et nomine Pii VI. Pontificis  
 ad Patriarcham Syrorum Monophysitarum, alienum a romana  
 ecclesia. Scribit Congregatio jussisse Pontificem, ut quæ sit  
 via vera, certa, ducens ad salutem æternam, ipsa declaret  
 illi rationibusque demonstret necessitatem, quæ cogat creden-  
 tes omnes, ut uni tantum capiti subsint, eandemque omnes  
 fidem teneant. Et hæc summa est, ad quam redeunt omnia,  
 Pontificem romanum esse Petri apostolorum principis vicarium,  
 ecclesiam veram esse unam, catholicam, et quæ sunt talia.  
 Commemoratur pag. 9. Eutychem ipsum agnovisse principatum  
 sedis romanæ, quod damnatus in concilio Constantinopolitano  
 rem ad Leonem detulerit, hunc cognita causa firmasse concilii  
 decretum, et celebratissima sua ad Flavianum epistola ef-  
 fecisse. ut publice illa prælecta in concilio Chalcedonensi pa-  
 tres omnes profiterentur: hæc est fides patrum et apostolorum,  
 sic omnes nos credimus, ad hanc normam credunt Catholici  
 omnes. damnatus igitur quicumque hæc non credit etc. hinc  
 Dioscurum quoque in concilio damnatum esse. — Exposito igi-  
 tur errore Eutythis Dioscurique, traditaque sana doctrina, de  
 persona una duabusque naturis distinctis in Verbo incarnato,  
 profecta a Leone pontifice romano, sequuntur pag. 23 hæc:  
 Nihil plane penes Congregationem sanctam est dubii suspicio-  
 nisve, qu' n' prorsus explorata sibi que persuasã habeat hæc  
 dogmata omnia Tua Dominatio, igitur requiritur a Vobis, ve-  
 litis in illis tenendis firmiter persistere, atque omnem prætereã  
 operam dare, ut Clerum ac coetum Vobis commissum diriga-  
 tis in istis præceptis, tum certi esse poteritis, Pontificem  
 maximum ex animo gratam habiturum vestram cum sede apo-

stolica conjunctionem perpetuam. Neque vero id agitur in hac re, ut velit imperium habere in coetum vestrum vel Clerum vel personam vestram. Aegerrime vero ipse fert, recedi a decretis Episcoporum, fratrum suorum, et in ordine Sacerdotali divino sociorum. Itaque vult statuitque, servanda illa esse integra atque perfecta, ut Ipse satisfaciat muneri suo, cujus est firmare fratres in fide, ut omnes idem credamus, omnesque simus gregis Domini nostri, qui non potest esse nisi unus, quemadmodum fides nostra vera est una, et baptisimus noster unus. — Nomen subscripserunt Jos. Maria Castelli, Præfectus Congregationis, et Stephanus Borgia, Secretarius.

62. Acta Consistorii Secreti habiti die XXV Jun. MDCCLXXXI. Romæ, ex typographia S. Congr. Prop. Fide. 4. pagg XXVI. arabice et latine.

Defuncto Michaele, Armenorum Ciliciæ Patriarcha, cum Archiepiscopi catholici Armeni ritus Basilium Amasiæ Antistitem in patriarcham elegissent; missus est Romam curator cum litteris supplicibus ad Pium VI. pontificem, quibus rogarent, velit novum patriarcham Ipse ratum habere, et pallio, etiam Romam haud profectum, ornare. In hac re quæ acta sint, refert liber. Præmisso, quod diximus, argumento, exhibetur 1. decretum Congreg. de P. F. quo pontifici commendatur petitio, 2. Pontificis oratio solemnis, qua confirmatur novus patriarcha, 3. pro accepto beneficio gratiarum actio. Ex pontificis oratione intelligas, Armenorum cum ecclesia Romana unionem, per tria pene sæcula interruptam, restitutam esse anno 1742. quo primus patriarcha ipse, quamquam senio confectus, Romam venit, et a Benedicto XIV confirmari se pallioque donari petiit.

63. Catechismus Romanus ex decreto Concilii Tridentini jussu Sanctiss. Pii VI. editus. Romæ, typis S. Congreg. de P. F. 1786. 8. Voll. 2 mere arabica.



64. Manuductio firma ad veram fidem. Viennæ, apud Kurzboeck. 1792. fol. pagg. 431.

De libro hoc arabico relatum est breviter a celeb. Altero, Prof. Viennensi, in Memorabilien — von H. E. G. Paulus, V St. 1793. pag. 197. deinde copiosius in Gœtting. Anzeigen, 1793. 164 St. pag. 1644. ubi, ad quem editio refertur, Patriarcha Græcorum Hierosolymitanus, Constantinopoli sedem habens, *أنتيموس*, dictus est Onesimus, vero nomine dicendus: *Anthimus*. vid. Memorabilien VI St. pag. 189. Qui editionem curavit, est *Parhenius*, Presbyter græcus ad rem perficiendam Constantinopoli missus Viennam jussu et sumtibus Patriarchæ. Exploratum habemus, absoluta editione exemplorum copiam omnem Constantinopolin missam esse, ne uno quidem venali facto.

65. Epistola orthodoxa ad Orientales de Incarnatione adversus Jacobitas, Coptos, Armenos, Syros, et Aethiopes. Arabice. typis Congr. de P. F. 8. sine anni mentione.

“Cusa est curante Ludovico Belluga S. R. E. Cardinale, et multæ fuit utilitatis orientalibus christianis.” Verba sunt Amadutii, in nota, pag. 11 Catalogi ann. 1773.

66. Sales s. Franciscus. Introductio ad devotam vitam. 8.

His iisdem verbis librum refert uterque catalogus ann. 1773 et 1782. Putem, Francisci Salesii, f. de Sales, Episcopi Genevensis, 1665 ab Alexandro Pontifice inter sanctos et deprecatores recepti, librum esse, in usum Orientalium in arabicum sermonem translatum.

*Theses Respondentium.*

1. Ebraica lingua non magis sancta dici meretur, quam græca.
  2. Ebraicæ linguæ accurata cognitio difficilior est quam græcæ vel romanæ.
  3. Post ebraicam linguam græca sola nobis vetustissima servavit pristini temporis monumenta.
  4. Ex hodierna Palæstinæ sterilitate haud quidquam efficitur contra fidem veterum, fertilitatem ejus prædicantium.
  5. Mosaica quamvis et ipsa severa mitior tamen Lycurgi legislatione.
  6. Interdicti a Mose inter consanguineos connubii causa in conservanda hominum varietate quoad ingenium atque indolem posita.
  7. Ebræorum Judices Græcorum Heroibus similes sunt.
  8. Regnum inter duos reges divisum plurimorum Ebræis malorum causa et origo fuit.
  9. In subsidiis ad interpretationem scriptorum novi testamenti grammaticam primarium locum obtinent græcæ hebraicorum veteris testamenti librorum versiones.
  10. Igitur bonus illorum interpres nequit cogitari absque legitima hebraicæ linguæ peritia.
-











D: De 50

sb

ULB Halle

3/1

000 867 101



